

Codice Diplomatico Longobardo I, 20

In nomine domini Dei et saluatoris nostri Iesu Christi. Ex iussione domni excellentissimi Liutprandi regis, dum coniuxissemus nos sanctissimi Teudaldus Uesolanae ecclesiae episcopus et Maximus Pisanae ecclesiae nec non et Spetiosus Florentine ecclesie adque Talesperianus Lucensis episcopus ad ecclesiae Sancti Genesii, in uico qui dicitur Uualari, ibique residentes una cum misse excellentissimo domino Liutprando regis, nomine Gunteram notario, uenerunt in nostris presentia sanctissimi uiri Adeodatus Senensis ecclesie episcopus et Lupertianus Arette ecclesiae episcopus altercationem inter se abentes de diocesis ecclesiis et monasteriis in finibus Senensis territorio eiusdem ciuitatis, id est: monasterio Sancti Amsani, baptisterio Sancti Stephani in Acinano, baptisterium Sancta Maria in Cosona, baptisterio Sancti Ipoliti in Saxiano, baptisterio Sancti Iohannis in Rantia, monasterio Sancti Archangeli in fundu Lucu, baptisterio Sancti Andreeae in Malcinis, baptisterio Sancti Petri in Paua, baptisterium Sancta Maria in Patina, baptisterium Sancti Quirici et Iohannis in uico Falcino, baptisterium Sancta Restituta in fundo Rexiano, baptisterium Sancti Felicis in Auano, baptisterium Sanctae Matris Ecclesiae in Misulas, baptisterium Sancti Ualentini in casale Ursina, monasterio Sancti Petri ad Axo, baptisterio Sancti Uiti in Rutiliano et Sanctae Matre Ecclesiae in castello Politiano, baptisterium Sancti Uiti in Uescona, baptisterium Sancti Donati in Citiliano, baptisterium Sanctae Mariae in Saltu, baptiste rium Sancti Uiti in Pruniano, baptisterium Sancti Uiti in Osenna. Dicebat sanctissimus Lupertianus e piscopus frater noster: Quia ecclesias istas superscriptas et monasteria a tempora Romanorum et Longobardorum regum, ex quo a fundamentis conditae sunt, semper ad sedem Sancti Donati Aritio obedierunt una cum omnibus oratoriis suis, et nostrorum uel antecessorum nostrorum ibidem fuit ordinatio tam in presbiteros et in diaconos, et nostra fuit sacratio semper usque modo, et nos debemus abere. Ad hec respondebat frater noster Adeodatus Senensis ecclesiae episcopus: Ueritas est, quia ecclesiae istae et monasterio in territorio Senense positae sunt, et uestra ibidem fuit sacratio, eo quod ecclesie Senense menime episcopus abuit; nam modo ad nos debent pertenere, quia in nostro, ut dixi, territorio esse noscuntur. Ad haec iterum respondebat Lupertianus episcopus: A tempore Rotharini regis usque modo semper ecclesiae Senense episcopum abuit, et nostra antea a tempo re Romanorum et postea usque in odiernum diem in ipsas ecclesias baptisteria et monasteria adque titulas fuit sacratio et ordinatio, et in antea debemus secundum canonica regula abere. quidem et missus excellentissimo domno Liutprando regis, nomine Gunteram, qui per ipsius Tagipert gastaldius Senensis et per ipsos presbiteros et per aremannos ueritatem cognoui; et per ipsos presbiteros superscriptarum a longo tempore antecessorum meorum et me a usque actenus ibidem fuit sacratio. et ecce mihi superscriptarum de omnis istos presbiteros, qui nunc presenti uiuent, ubi oboedientia Sancti Donati promiserunt, et sacramenta secundum antecessorum suorum consuetudinem prebuerunt usque ad tertio et quarto anno retro tempus, qui similiter manus suas ad sancto Donato, cui deseruio, fecerunt. et lectas insuper epistolas rogatorias de singulis iudicibus ciuitatem Senenses et de ipso episcopo, qui tunc erat, et antecessores meos et ad me faciebatis electionem, eo quod uester territorio erat, et nobis epistolas fatiebatis, et rogum mandabatis, ut secundum antiquam consuetudinem ipsae personae consecrarentur, quoniam nostra manebunt diocea. nec quiscumque contra canones sine nostra promissio ibidem episcoporum audebat ordinationem facere. Ad haec autem omnia nos superscripti Teudoaldus, Maximus, Spetiosus, Talesperianus episcopus una cum presbiteros nostros uenerandos uiros, id est Iohannes, Lucipert, Rodoaldus, Munichis, Sicualdus, Anselmo,

Auturini, Theodoro, Deusdedi adque Theodoro et reliqui sacerdotibus circumstantibus
audientis, fecimus ipsam inquisitionem et manus de ipsos presbiteros, qui nunc uiui sunt et
eorum qui transierunt, sed et epistola iudici Senensium ciuitatis siue episcoporum ecclesiae
Senensium relegere, ubi continebatur, quod omnis sacratio in suprascriptas dioceas,
baptisteria et monasteria adque oracula per presulem sanctae Aretinae ecclesiae omnis in
tempore perficiebatur. Nam et ipsi presbiteri, qui modo ibidem custodes sunt, ita professi
sunt per euangelia et sacratione ab Aretinae ecclesiae episcopus suscepisset, et manus suas
iuxta antecessorum suorum consuetudinem ibidem fecisse, et sacramenta prebuissent, et
obaedientia usque actenus inpendissent, et crisma suscepissent. Ideo iustum adque rectum
placuit, ut, sicut sanctis patris Nicei et Affessani adque Calcedonensis conciliis statuerunt,
ut nemo in aliena docea non inuitatus ingredi presumat, aut qualemcumque ordinationem
faciat; sed in suis diotiis se contenetur, nec statuta patrum termina transcendat. Proinde
decreuimus per sanctorum patrum auctoritatem, ut tu, suprascripte frater noster Lupertianae
episcopo, ipsas suprascriptas dioceas et monasteria cum suis oraculis abeas absque
qualemcumque contaminationem habere, sicut antecessores tui a longo tempore habuerunt,
et omnis sacratio ibidem per tui oris labia uel successorum tuorum ibidem proueniat, tam in
presbiteris quamque diaconis uel subdiaconis, et baptisma uel crisma per impositione
manuum, sicut cristiana religionis est consuetudo, omni tempore prouenit adque fiat, et
nulla facundia ammodo et deinceps prefatus Adeodatus episcopus uel eius successores, qui
in tempore fuerunt, contra te, quem suprascriptum Lupartianum episcopum uel tuos
successores, de predictis baptisteriis ecclesiis et monasteriis cum oraculis suis aliquando
abet facundia loquendum, nec fontis aduersus fontis fatiendum, nec plebes subtrahendum,
nec nullam ordinationem infra ipsis dictis finis eorum fatiendum, sicut sanctorum patrum
instituta leguntur. Quoniam pro amputandam intentionem decreuimus, ut tibi .VII. cum sex
presbiteros tuos, quales ipse Adeodatus elegere uoluerit, preueas tu, Lupartiane episcope, ei
ad euangelios sacramentum, unus ad unus, et dicatis: Quia a quo tempore ex quo auditum
habetis Romanorum et Langobardorum usque in presentem diem, in quo sumus, semper
sacrationem presbiteris et diaconis ipsarum suprascriptarum ecclesiarum ab episcopis
Aretinae ecclesiae suscepereunt, et nostra antecessorumque nostrorum ibidem fuit ordinatio,
quaes nostram mansit possessio; nec ad ecclesiam Senensem aut episcopus eius numquam
pertenerunt, nec cum lege eam Sanctus Donatus, nec eius defensores perdere aut uobis
dimittere debemus. Et euangelia adducta sunt in nostris omniorum presentia, et
sacramentum ipse deductus est. Et finita est intentio. Unde presentem iudicatum nostrum
pro perpeti firmitatis, ne in posteris exinde inter uos aliqua reuoluatur causatio, tibique
super Lupartianus episcopus per manus suprascripti filio nostro Gunteram notarii
emisimus; in quo pro ampliorem firmitatem tuam propriis manibus nostris subscrispsimus,
quatenus ambae partis in eadem deliberatione perpetuis debeat manere temporibus. Facto
iudicato ad ecclesia Sancti Genesii in uico Uuallari, .V. die mensis iulii, regnante
suprascripto domno nostro excellentissimo et christianissimo Liudprando rege, anno in
Christi nomine quarto, per indictio tertia decima; feliciter. + Ego Teudualdus episcopus
hunc iudicatum a nobis factum adque dictatum uel relectum subscrispi. + Ego Maximus
episcopus subscrispi manus propria. + Ego Spetiosus episcopus sanctae ecclesiae
Florentine in hunc iudicatum a nobis factum atque dictatum uel relectum subscrispi. + Ego
Talesperianus sanctae Lucensis ecclesiae hunc iudicatum a nobis factum sicut supra. + Ego
Ansilmundo uir uenerabilis archipresbiter sancte aecclesiae Pisane hunc iudicatum interfui
et manus mea subscrispi. + Ego Rodoaldus Pisensis. + Ego Iohannes presbiter. + Ego
Munichis presbiter Lunensis. + Ego Deusdedi presbiter. + Ego Maurus presbiter. +

Teodorus presbiter. + Ego Lucifer presbiter. + Ego Damianus presbiter. + Ego Lupus presbiter.